



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xxxv. De statu monachorum, & canonicoru[m] regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

De stat. mona. & cano. regul.

tiant ad tentius commouentur. De clericis autem, nisi consilio strenui, officiove prædicationis instructi, aut magnatum obsequio deperati, vel usque adeo diuites & potentes erunt, ut expensis suis secum ducere valeant bellatores, nisi contra necessitas utilitasve suadebit, magis redemptio accipitor. Hæc de uouentibus dicta sunt. Ad eos, quibus peregrinationis labor in poenitentiam indictus fiet, ne trahuntur.

*De statu monachorum, & Canonico-
regularium. Tit. 35.*

2. *Monachi.*

MONACHI in monasterio precio ne recipiuntur, neque peculium habent. Singuli per villas, & oppida, seu parochiales ecclesias ne disponuntur. in maiore cōuentu cum aliquibusve fratribus manent. soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum ne expectant. Si quis exactus pro receptione sua quid dicit: ad sacros ordines ne ascendit. Si quis receperit: officii suspensione multatur. Qui peculium habesit, nisi ab abbate pro iniuncta administratione permissum fiet, ab altaris cōmunionem remouetur. Qui uero in extremis cum peculio inuentus erit, nisi dignè poenituesit, inter fratres sepulturam ne accipit, neque pro eo offertor. hoc de uniuersis religiosis præceptum est. Abbas, si non hoc diligenter cauerit, officii sui iacturam incurrit. Prioratus, obedientiæue (quas uocant) precii donatione nulli traduntur. alioquin dantes & accipientes ab ecclesiastico

ministerio alieni sunt. In queis conuētualibus ecclesiis priores per electionem capitulorū suorum canonicè instituti erunt, ni manifesta & rationabilis causa erit, vt si dilapidatores sient, incontinentēve viuent, aut aliud exauratione dignū egerint, nīve pro necessitate maioris officii de consilio fratrum transferendi erunt, ne mutantor.

Nedum autem monachus, sed & canonicus regularis si in mortis articulo à priore suo communitus proprium, quod latenter habebat, resignare noluerit, & sic diem extremum clauserit, christiana libitina priuator. Si inter fratres sepultus erit, & sine maximo scandalo fieri poterit, de ipsa ecclesia eiicitor, eliminatōr.

Nemo ergo monachorum proprium quoquo modo possideto. Si quis aliquid habet, habebit actutum totum resignato. Qui posthac proprietatem aliquam habere deprensus erit, regulari monitione præmissa de monasterio expellitor, néve vlteriùs, nisi secundum disciplinam monasticam pœnituesit, recipitor. Si apud aliquem in morte proprietatis inuenta erit: cum eo in perditionis signum extra monasterium in sterquilinio subterrator. Si cui quid specialiter destinatum erit: id ne accipito. abbati, priori, cellerariōve assignator. Nemo porro monachorum lineis indussis vtitor. In oratorio, refectorio, dormitorio continuum, in claustro etiam certis horis, & locis consuetis silētium seruator. In refectorio nullus omnino carne vescitor. Conuētus cum abbate, pauculis ibi relictis, vt extra re-

4. Super quodam.

6. Cum ad monasterium.

De stat. mona. & cano. reg.

refectorium carnes edant, quibus etiam diebus id
consuetum est fieri, ne exito. Extra refectorium
quoque, nisi in infirmitorio, carnum usus ollis
interdictus esto. Ipsi tamen abbati ex indulgentia
nunc hos nunc illos fratrum, prout necessitas
postulabit, aduocare, ipsosque secum in cenacu-
lo suo lautius & plenius exhibere liceto. De-
biles autem & infirmi, qui minutione, medicina-
ve indigebunt, omnibus in infirmitorio necessaria
sibi in carnibus, & aliis recipiunt. Si quis eorum
debilis, delicatusve communibus cibis conten-
tus esse nequibit: huic sine aliorum scandalo
prouidetur. Si abbas, priorve uolet: cibum com-
petentem ante se adferri iubeto. De hoc ipsi sym-
bolon pro sustentatione naturae facito. Caeterum
ad agenda officii ministeria fideles & discreti
deputantur. Nulli obedientiam perpetuo possi-
denda committitur. Cum oportuerit, sine con-
tradictione qualibet amouetur, reuocatur. Prior
praeter ceteris secundum abbatem in opere & ser-
mone potens esto. zelum religionis habens de-
linquentes conripito, castigato, obediens fo-
ueto, confortato. Abbati omnes in omnibus re-
uerenter obediunt, parent. Is quanto frequen-
tius possiet cum fratribus in conuentu esto. om-
nia diligenter curato. Si praearicator, ordinis
contemptor, neglegensve erit: officio exautho-
rator, aliove modo secundum regulam castiga-
tor. Super habenda proprietate castitatisve cu-
stodia nec ipse, nec pontifex summus monachus
legibus soluito.

*7. In sin-
gulis.*

Hec ut omnia plenissimum obseruentur, in sin-

gulis regnis, prouinciisve de triennio in trienniu
 dicecesanorum pontificum iure saluo, abba-
 tum, & priorum proprios abbates non habentiu,
 etiam qui tale capitulum celebrare non consue-
 sint, commune capitulu celebrator. Ad id vni-
 uersi canonicam prapreditionem non habentes
 apud vnum ex monasteriis ad hoc aptum con-
 ueniunt. Nullus eorum plus quam senas eue-
 ctiones & octo viros secum adducito. In his no-
 uitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis vi-
 cinos abbates ad consilium & auxilium sibi pra-
 standum ciento, aduocato. Hi duos sibi de ipsis
 quos expedire viderint absque contradictione
 ad sociato, hi quatuor vniuerso capitulo praesun-
 to. Nullam tamen ex hoc sibi autoritate prela-
 tionis adsumuto. hos, cum expediet, prouida de-
 liberatione mutare liceto. Hoc capitulum certis
 aliquot diebus iuxta Cisterciensis ordinis more
 continue celebrator. In eo de ordine, reforma-
 tione, & regulari obseruantia diligenter tracta-
 tor. Quod his quatuor adprobantibus scitum
 erit inuolabiliter obseruator. Excusatio, contra-
 dictio, prouocatio ne esto. Vbi sequenti anno
 debet capitulu celebrari, prouidetur. Qui con-
 uenerint communem vitam ducuto. Simul om-
 neis aequa lance comuneis expensas faciunt. Si
 non omneis in eisdem possent, saltim plureis simul
 in diuersis domibus comorator. In capitulo cir-
 cumspecta & religiosae personae, quae singulas eius-
 dem regni prouinciaeve monachorum & moniali-
 um abbatias secundum formam sibi praefixam apost. auth. vi-
 sitet, ordinat. Hi quae huius remedio indigere

De stat. mona. & cano. regul.

nancti erunt conrigunto, reformanto. Si rectorem loci ab administratione repellendum existumauerint: episcopo proprio, id vt faciat, denunciatio. Si negleget: visitatores ad apo. sedis examen istuc referunto. hoc ipsum & regulares canonici secundum ordinem suum obseruanto. Si quid in hac nouitate difficultatis emerferit: quod eadem personæ expedire nequibunt ad apo. sedē absque scandalo refertor. Cætera, quæ concordī deliberatione prouisa erunt, seruātor. Diocæsani episcopi monasteria sibi subiecta diligenter reformanto. Ne quid visitatores hi cōrectione dignum inueniant, præcauento. neue monasteria ipsa indebitis oneribus grauanto. Tam olli, quàm capitulorum præfides aduocatos, patronos, vicedominos, rectores, & cōsules, magnates, & milites, seu quoslibet alios, ne monasteria in personis rebúsve offendant, per cen. ecclesiasticam adpellatione postposita compefcunt. Si offenderint: eosdem ad satisfaciendum compellunt.

8. Ea que Porro cum visitatores hi ad visitationis officium exequendum procedent, de statu monachorum, & obseruantia regulari diligenter anquirunt. Tam in spiritualibus, quàm temporalibus quæ conrigunda viderint conrigunto, reformanto. Monachos tamen delinquentes per abbatem loci conrigi, olliſque pœnitentiam indici iuxta Benedicti regulam, & apostolica instituta faciunt. Quos contumaces & rebelles inuenerint iidem vice apostolica pro modo culpæ absque profopolypsia regulari censura percellunt.

cellūto. Rebellibus ob eorum pertinaciam, amicorumve potentiam ne ignoscunt. ouem morbidam, ne sanas inficiat, ab ouili eiiciunt. Abbates, si in conrigundis iuxta visitatorum mandatum & regularia instituta seipsis monachisve negligentes inuenti fuerint, proclamantur, conripiuntur, in generali capitulo publice puniuntur, pœna ipsorum aliis paradigma esto. Itaque non exemptum abbatem si æquæ remissionem inuenerint: actutum diœcesano renunciatio. Olli ab eodem fidelis & prouidus coadiutor ad capitulum vsque dator. Sin dilapidatorem, vel aliàs merito amouendum inuenerint: per diœcesanum, postquam hoc sibi à visitatoribus fuerit nūciatum, sine strepitu iudiciorum ab abbatiæ regimine amouetur. Idoneus interim administrator qui temporalia curet, donec alter suffectus fiet, prouidetur. hoc si diœcesanus adimplere nolet, aut negleget: visitatores, capitulove præsidentes defectum eius ad apo. sedem referre ne differunt. hæc eadem circa exemptos abbates obseruantur. Exauthoratio tamen apo. sedi reseruata esto. Suspenso interim abbate administrator, vt mox dictum est, deputator. Illorum excessus, aliæve quæ iudicanda erūt capitulo præsidentes per fideles nuncios Archiflamini Romano nunciant. Ollis de communi abbatum conlatione pro cuiuslibet facultate sufficientes expensæ ministrant. Proximi visitatores præcedentium vestigia diligenter perquirunt. eorum negligentias, culpæve, vt debitam pœnam luant, sequenti capitulo referunt.

to . Idem de abbatibus capitulo præfidentibus obseruator . Abbates, monachi ve nullo in monasterio clericos seculares ad præbenda recipiunt . Si qui iam recepti sient: locum, vocem in capitulo, refectorio, dormitorio, claustro ne vendicanto. Monachorum cætibus importunè ne se immiscento . concessis sibi beneficiis contenti sunt . honestè conuersantor . In monasteriis opportuna obsequia fideliter impèdunt . nihil porrò spiritualium aut temporalium in eisdem exigunt, vsurpant . Si qui talium à visitatoribus fontes reperientur : in non exemptis à diocesano, in exemptis ab ipsis visitatoribus, capitulòve præfidentibus beneficiis iisdem priuanto . Hæc omnia etiam in monasteriis abbates non habentibus, sed priores, necnon in monialium, quoad capita abbatissis & monialibus congruentia, custodiuntor .

1. Theodosius.

Diocesani autem, de quibus mox dictum est, eorumve presbyteri monasteriis præter diligentiam disciplinæ ne quid molestiæ inferunt, nève quod illic pro diuersorum deuotione conlatum siet vendicanto . quicquid à fidelibus taliter offerri continget ibidem seruientibus proficito .

3. Recolenus.

Cisterciensis tamen ordinis religiosi villas, ecclesias, altaria ne possidento, nève fidelitates, & hominia, quæ vocant, iusticiarias, tributarias suscipiunt, tenent . Quæ domus à prima sui origine in ipso ordine fundatæ sunt, constitutis terminis contentæ sunt . ad communia aliorum monasteriorum iura ne diuertunt .

to. alioquin communi cum eis iure censentor. Quæ domus de aliis institutionibus ad eorum ordinem se transfulerint eorum vsibus & religioni se transformanto, coaptanto. quas possessiones eorum institutio non recepsit, vel relinquunt, vel mutanto.

Monachi autem ad ecclesiarum parochialium regimen rectè ordinantur. Canonici verò regulareis, qui tametsi ad monachos accedant proxumè, regulæ tamen inseruiunt laxiori, si ad plebis curam postulabuntur, & ab episcopo ministrare permittentur, rectè plebani officium exercent. Tamen, si commodè poterit, qui id exercebit vnum canonicum regularem secum habeto. huius in iis quæ dei sunt & regularis obseruantix confortio & solatio perfruitor.

5. Quod dei timorem.

De Religiosis domibus, vt episcopo sient subiecta.

Tit. 36.

ECCL^ESIA in diocesi episcopi sita olli equoad episcopalia (ni ea legitimè remissa esse pareat) respondeto. In qua remissione faciunda episcopus censum sibi retinere valet.

6. Constitutus.

Basilica autem noua dedicanda si erit: sub cuius ciuitatis episcopo antehac loci incolæ baptisati consignatiue sient, disquiritor. Is consecrato. Hæc terminis aut locis ne difiniuntor.

1. Nunc autem.

S ii